Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1949

Quelle:
Copyright:

pluribus et ambaſiatoribus Bohemie Morauie &c. pronunciata per Magiſtrum Jodocum de hailprunn. Ad menſem *Novembrem* a. 1452. pertinet, quo concordia inter *Fridericum* Imp. *Ladiſlaum Hung.* et *Boh.* Regem, et Provincias tractabatur. Nihil Hiſtoriae adtingit Orator, e verbis *Pſ.* 71. *Suſcipiant montes pacem populo et colles juſtitiam*, Montibus, id eſt, Principibus, et Collibus, id eſt, Magiſtratibus Bona Pacis oſtendere contentus. Adſcribo tamen, quae in laudem *Hungariae: Commendatur hoc potentiſſimum Regnum ex dignitate et nobilitate et ſtrenuitate principum et comitum et ceterorum ſatraparum, qui neceſſitate ingruente ſtrenuiſſime militant in acie dominici belli contra infideles turcos. Vnde ipſum regnum eſt tanquam clipeus ad defendendas metas chriſtianitatis contra infidelium incurſus.* Reliqua Codicis, ut dixi, Academica occupant, quae inter memoro primam Noſtri Proluſionem magiſtralem, quae *fol.* 194. longa Perſonarum, quibus gratias agit, enumeratione terminatur. Inter alias eſt *Strenuus et prudens vir D. Conradus Holtzler* (non Holzer) *magiſter Civium huius opidi nec non miliciali cingulo decoratus*, qui motam contra *Albertum* Archid. ſeditionem a. 1463. capite luit, et *Jodoci* Parentes *Conradus Wyler de Winſperg et Elizabeth Kauffmenyn de hailpruna. Fol.* 369. habetur prolixa Diſſertatio, quae init: *Utrum quilibet ſacerdos noue legis teneatur verbum dei fidelibus predicare. Nota quod in concilio Baſileen. per Vlricum de Znoyma ſic proponebatur articulus de predicatione verbi dei. Verbum dei exemplo chriſti et apoſtolorum a ſacerdotibus domini libere ac ſine impedimento fideliter et veraciter debet predicari et annunciari* &c. *Udalrici* Propoſitio habetur *Manſii Supplem. Concill.* T. IV. *col.* 483. Replica ad illam *Henrici Kalteiſen* O. P. triduana *Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVII. *col.* 1079. *Udalrici* Replica ad hanc Replicam T. *cit. Manſii col.* 643. Notavit *Manſius* ad hujus calcem, *Henricum* denuo replicuiſſe, ſed nomine *primae* Replicae deceptum fuiſſe puto. Noſtram Diſſertationem non *Baſileae* in Concilio, ſed *Viennae* poſt a. 1433. elaboratam cenſeo.

DCCCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 344. 4. a diverſis currente calamo conſcriptus et olim a *Jodoco Weyler de Heilbrunna* T. D. et S. *Stephani* Canonico, a. 1457. extincto legatus *ad librariam Domus collegij ducalis Wienne apud fratres predicatores*, membraneo hoc praemunitur coaevo Titulo: *Prima pars ſermonum ſuper euangelijs et epiſtolis domini thome quondam plebani in caſtro.* Aulam *Viennenſem* vulgo *die Burg* puta. Praeit Sermonum Index, qui intra annos 1428—39. habiti ſunt in *Caſtro* U 195.